Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

stabat a longe timore perterritus tristis
et pallidus pannosis uestibus indutus.
Itaque apostolicus super hac re interrogans episcopus
iusticiam accepit ab omnibus dampnatio
nis sententiam. Qui eodem anno inci
dit in infirmitatem in qua durauit usque ad mortem.
Aliam uisionem de eo
nullo modo silebo quam multis profuturam
spero. Quidam habitu secularis, sed fide et
actione spiritualis, siue in corpore siue extra
corpus nescio raptus est ad inferni loca. ubi
uidit multa et intollerabilia supplicia.
in quibus multos principes et mediocres
quos hic cognouit uidit. a quibus multa
audiuit. que postea nobis retulit. scilicet
pro qua culpa essent. et pro qua culpa ibi es
sent. Deinde ductus est in campum florum odo
re et luce clarissimum. militibus letancium
plenum. erat mons marmoreus omni a
menitate conspicuus. in quo affirma
bat se uidisse gotewigense monasterium
per maximo splendore coruscum. In quo
uidit tamen fratribus quos hic cognouit
summa uultus et habitus honestate fulgi
dum. multa cum eo locutum. Eodem scema
te et sigiberch cum annone episcopo et suis fratribus
uidit. a quibus multa mandata accepit.
que postea reuersus retulit.
Iam uidetur ut suspensis auditoribus
promissum soluam. et qualiter canoni
ca uita in monachicam professionem
permutata sit. Tempore uenerandi pre
sulis altmanni uenit in montem gote
wich quidam presbiter religiosus natione
scottus professione monachus nomine iohannes.
quem episcopus ob religionem uite ualde dilexit.
et ei iuxta ecclesiam sancte marie inclusum
fecit. Hic uerbo et exemplo multum
loco profuit. Defuncto episcopo uenit inimicus
homo qui super bonum triticum ab altmanno
seminatum seminauit zizaniam. et bonam
famam fugauit de monte infami in
famia. Viri namque impudici de locis suis
aut expulsi aut fugitiui in Gotewich
propter rerum inopiam confluxerunt. qui sub
obtentu religionis quam specietenus
pretulerunt suscepti sunt. Horum infan
dis actibus cepit locus infamari. et gloria
prioris status ualde obfuscari. Cumque
indies infamia longius et latius crebres
ceret. et non modo claustralis religio. sed
ipsum uulgus montem abhorreret. eidem
iohanni incluso altmannus episcopus in sompnis
infulatus apparuit. ut locum de ceno purga
ret. et ut fetorem stercoris de monte extra
heret admonuit. At ille uisionem intel
ligens. et proposito fratrum rem aperiens. iussit
turpes de monte eici. deceptos uero ab eis
precepit penitencie subici. Qui cum infa
mie notam non possent effugere. cogitauerunt
omnes locum relinquere. Quo comperto iohannes
dedit consilium ut mutarent habitum.
et sic euaderent tam infamis facti ob
probrium. Fit consensus omnium. eligitur pro
fessio monachorum. Mox cunradus prepositus
huius rei gratia mittitur romam. ut ab apostolico
impetrarent huius permutationis licentiam.
Qua impetrata cum gaudio remeat.
Vdalrico bone memorie episcopo altmanni
successore consensum romani pontificis
nunciat. consilium suum super hoc negocio
postulat. Cuius consilio hartmannus
cuius supra mentionem fecimus abbas eligitur.
cuius religionis et eloquentie fama ubique
diuulgabatur. qui tunc temporis in mo
nasterio sancti blasii prioratus officio fungebatur.
Huic hartmanno ut ipse post fratribus
retulit. episcopus altmannus in eodem loco sancti
blasii in sompnis apparuit. uirgam pasto
ralem ei tradidit. locum gotwicensem commendauit.